Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36565
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift

ut parata sis. dormiat caro tua. uigilet fides. dormiant illecebre corporis 80 uigilet cordis prudentia. membra tua redoleant crucem christi et sepulture odorem ut neque his caloris somnum infundant nullis excitet motibus. Ipsa est anima que se christo aptauerit nulli uapores carnis excitant. Cum hec inuenit sponsus transsilit. anima tua illum sequatur. discedat a cubili suo. exeat in uerbo eius sicut scriptum est. exiuit anima mea in uerbo tuo. id est peregrinetur a corpore deo assit. quoniam cum est in corpore peregrinatur a christo. Unde et apostolus ait. Audemus ergo et contendimus magis peregrinari de corpore et adesse ad dominum. contendo contendimus siue absentes siue presentes placere illi. Omnes enim nos manifestari oportet ante tribunal christi. ut reportet unusquisque propria corporis sicut gessit. siue bonum siue malum. Quam ergo causam probauit. quod corpus resurget. Oportet in carne resurgere quod remuneratione suorum est adepta gestorum. ut quod in corpore gessimus. in corpore recipiamus. Uult ergo se dominus sepius queri. discedit. currit. ut resuscitet gratiam. quam uult autem etiam inter resuscitari. sicut habemus scriptum ad thimotheum. propter quam causam admoneo te. ut resuscites gratiam dei. que est in te per inpositionem manuum mearum. Que autem resuscitauit gratiam sit uulnerate caritatis sicut illa dixit. quia uulnerata caritatis ego sum. Si suscitaueritis et resuscitaueritis caritatem. quod istud sic possumus intellegere. si repetam quia sagitta est dominus. cui dicit pater. posui te sicut sagittam electam et quia ipse est caritas. Sunt itaque iacula caritatis quibus uulnerat sese querentes.

Denique et alligati uinculis ipsum secuntur. quia quos uulnerat ligat. Ergo sunt et uincula caritatis quibus ligatus est paulus qui ait. paulus uinctus ihesu christi. Uulnera autem caritatis esse docet ibi. Quomodo amplius christus dilexit. qui diligebat etiam in ipsis sui corporis cruciatibus. Unde dicebat. sagitte autem domini in corpore meo sunt. quarum furor ebibit sanguinem meum. cum cepero loqui conpungunt me. Sunt ergo caritatis uulnera et bona uulnera. Denique meliora uulnera amici. quam uoluntaria oscula inimici. Hieremias quoque estuabat. et ignem caritatis quo inflammabatur ad officium prophetandi. ferre non poterat. Denique demergebatur in lacum. quia uidens futura excidia annuntiabat. et tacere non poterat. Lapidabatur stephanus. et illa pro christo uulnera quasi uulnera caritatis pio excipiebat affectu. Uapulabant apostoli et congratulabantur. Quam bonus est dominus. pro quo dulces et iniurie sunt. et grata mors. et bene grata que adquirit immortalitatem. In omni inquit tempore sint uestimenta tua